

Spoletum, vel Perusiam incolumis perduceretur: quindecim diebus elapsis, totidem aureorum millia solveret; reliquam pecuniam, quæ ad quadraginta millia supererat, trimestri spatio constituto, Germanis, Hispanisque tribueret. Quibus ita statutis, ac decretis, cum dies quinta idus decembris Roma exeundi statuta esset, vel fortunæ malignitatem, quam sæpe expertus fuerat, vel hominum perfidiam, ac Moncatæ præsertim adversus illum infestum animum veritus, moræ impatiens, nocte, quæ diem præfinitam præcesserat, mutato habitu, ex arce exiit, atque a Ludovico Gonzaga Cæsareano Duce exceptus incolumis Orbitum perductus est; noctu nullis, ut assolet, Cardinalibus, sed paucis e familiaribus comitatus, urbem ingressus humanæ varietatis exemplo, quippe qui e supremæ fastigio dignitatis dejectus, auctoritate exutus, carcere detentus, Roma amissa, imperio spoliatus; idem post paucos menses libertati restitutus, imperium denuo recuperaverit, pristinam dignitatem, atque auctoritatem adeptus fuit. Ea de re Pisanus Reipublicæ Legatus certior factus statim cum literis eum, qui sibi erat a secretis, ad Pontificem misit, ut illi de felici successu gratularetur; ipse postea subsequutus est, & de præterito, ac præsenti rerum statu multa egit: a Senatu etiam ad Pontificem ingentis gaudii significazione refertæ literæ datæ sunt, quibus propediem oratorem ea de causa missurum continebatur.

Clemens ex  
arce exiit,  
& a Ludo-  
vico Gon-  
zaga Orb-  
itum duci-  
tut.

Pisanus le-  
gatus ad  
Pontificem  
gratulatum  
accedit.  
Venetorum  
literæ ad  
Clementem  
mittuntur.

Clementem tot angustiis ereptum variæ curæ, ac solicitudines angebant; hinc fides, qua se Cæsareanis obstrinxerat; inde urbium, & oppidorum deditio, præteriorum malorum memoria, cui injuriæ acceptæ, illatæ clades infixæ hæserant. Ea in causa erant, ut summopere Lautrechii adventum cuperet: quo circa Senatus oratori Pesareo scripserat, ut ad conficiendum iter Lautrechium excitaret; quod si vel propter impedimenta, aut tormenta bellica, vel quia Germani, qui in itinere erant, nondum advenissent, morari oporteret, statim quas posset copias præmitteret, ut exercitui, qui trans Apenninum erat, subsidio forent; tum ut hostibus obsisti, illorumque conatus reprimi possent; tum ut Florentinorum studia confirmarentur; ac, ne Pontifex prorsus animo concideret, niterentur. Huc enim Senatus consilia spectabant, ut Clemens, qui captivus inquis pa-